Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De præcepto audiendi sacru[m] cap. 6. & 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

Visual Library

teneri illud adimplere, ſi ibi ſit diu moraturus, non autem ſi vt peregrinus inde tranſitum habeat, modo abſit ſcandalum.

De Præcepto audiendi ſacrum Cap. 6. & 7.

AVdire ſacrum non eſt idẽ quod intelligere, vel voces ſacerdotis celebrantis percipere, vel eundem videre; ſed corpore, & mente ſacro intereſſe. Oportet. n. quod homo ſit præſens, & mẽte intẽdat, ita vt ſi ex affectata negligẽtia nõ aduertat, aut ſponte diuagetur, vel opus aliquod agat habẽs vagationẽ annexã, vt ſtudere, ſcribere, ſuere, vel pingere, non ſatisfaciat. Poteſt tamẽ horas can. vel calculos recitare, ac pœnitentiam ſatisfactoriam ſine culpa per ſoluere dum ſacrum ipſum agitur, dummodo attendat ſaltem virtualiter ſe ſacro intereſſe nem-

pe quia hæc omnia ad eundem finem tendere videntur, qui eſt Dei cultus, & laus. Non refert autem quo in Templo miſſa audiatur, ſed hortandi ſunt fideles, vt ſaltem diebus feſtis in propriis Parochiis audiant. Conc. Tr. ſeſſ. 22. cap. 1. Nullus eodem die tenetur pluribus intereſſe miſſis, ne quidem in die Natiu. Domini, tenetur tamen ad vnam integram, cuius partem notabilem, puta, tertiam partem, vel ab introitu ad Epiſtolam excluſiuè, ſine cauſa relinquere, eſt pec. mort. poteſt media miſſa audiri ab vno ſacerdote, & alia media ab alio, conſultius tamen eſt vt quilibet miſſam integram audiat, ab vno & eodem ſacerdote.

A quo, & quando audienda eſt miſſa. Cap. 8. & 9.